



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

X. Quod profundiores quaestiones nec contemnendae sint, nec penitus
asserendae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

velimus & agamus. Nec otiosa in nobis esse patitur, quæ exercenda non negligenda donauit, vt & nos operatores finis gratiæ Dei, ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum solite recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam, & cui quotidie dicimus, *Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos a malo.*

Matth. 6.

X.

^a Profundiores vero, difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latius petraçtarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus quidquid ſecundum prædictas regulas apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt, vt prorfus non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

^a *Præteritorum ſedis apoſtolicæ.*] Hic ſequentium ſententiarum eſt titulus in libris antiquis, cumque vt germanum agnoſcit etiam codex Canonum Dionyſii exigui. Quamquam autem hæ Cæleſtini non ſint, Cæleſtino tamen, quiſquis earum eſt auctor, quia cum Cæleſtini epiſtola coniungi eique ſubiici ſolebant, ab antiquis olim ſcriptoribus tributæ ſunt, vt a Petro diacono in libro de incarnatione & gratia Chriſti ad Fulgentium, a Floro magiſtro in libro aduerſus Ioannem Scotum, qui eccleſiæ Lugdunenſis nomine circumfertur, ab Hincmaro Rhemenſi contra Gotheſcalcum, a Creſconio, Iuone, & aliis.

NOTA SEVERINI BINII.

^a *Profundiores vero.*] Proſitetur Cæleſtinus pontifex profundiores illas de prædeſtinatione ſanctorum quæſtiones ab apoſtolica ſede nequaquam definitas eſſe, illaſque tantum ſtabilitas fuiſſe, quæ ad condemnandum errorem ſufficere poſſe videbantur. Baronius anno prædicto num. 185.